

**Prædicandi modus Logicus duplex.** **I. Formalis.** dicatio Logica. Id ut rectè explicemus, sciatur, quod prædicandi modus Logicus sit duplex: *Formalis & Materialis.*

79. De *formali* & generalissimo agit Philosophus in prædicamentis: Estq; duplex: *Affirmativus & negativus.* Hic fluit ex doctrina oppositorum; de qua Philosophus in postprædicamentis: ille ex doctrinâ prædicamentorum, de quâ agit idem in ante prædicamentis, ut loquuntur, & prædicamentis ipsis.

80. Affirmativus ille modus est duplex: ut est *ἑνωστικός*, five *univocus*; vel *ὑποκειμένους*, five *denominativus.*

**Prædicandi modus univocus.** 81. *Prædicandi modus univocus* est illorum, quæ & nomen & definitionem tribuunt subiecto, ut patet ex definitione univocorum *lib. Categ: c. 7. §. 2.* Atq; ita prædicantur omnia illa, quæ pertinent ad esse rei, & ipsum *ἔννοια* constituunt: hoc est sunt ipsa res, de qua enunci-antur. Suntq;, *Genus, Species & Differentia*: ut illa enumerantur *ibidem cap. 5.* hoc est, sunt illa, quæ sunt eiusdem prædicamenti & generis: & Aristoteli κατ' ἑξοχὴν ὡς κατ' ὑποκειμένους κατηγορεῖσθαι, in toto Categoriarum libro dicuntur.

**Prædicandi modus denominativus.** 82. *Paronymus* verò prædicandi modus illorum est, quæ orta ab uno aliquo (in cuius originis deductione non Grammatica etymologia syllabas ponderans; sed rerum natura inspicienda est, & posterius à priori denominari dicendum) varias terminationes habent: Ubi denominans & denominatum non sunt in eodem genere: Quocirca etiam ab Aristotele, non tam prædicari, quam inesse & attribui subiecto, idq; denominare dicuntur *lib. Categ. cap. 5. §. 4, 5.*

83. Modi hi fundantur, in prima ὄντων consideratione, quâ menti primò obiiciuntur, quâq; considerantur,

tur,